29

SIMONIS PAVLI HILSCHERI
MEDICINAE DOCTORIS ET THEORETICES
PROFESSORIS PVBL. ORDINARII
H. T.
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROLVSIO II.

DE

REMISSIONE ANIMORVM MAGNO SANITATIS IN LITTERATIS PRAESIDIO

PVBLICAE INVITATIONI
AD
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE

MICTV CRVENTO

D. XVI. IVLII
HABENDAM PRAEMISSA.

IENAE D. X. IVLII M DCC XXXV.

LITTERIS RITTERIANIS.

P2

SENECA

Libr. de Tranquillitate animi cap. 15.

Danda eſt remiſſio animis: meliores acrioresque requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas, ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paullum reſoluti ac remiſſi; &c.

INTER animorum, curarum ac ſtudiorum onere preſſorum, laxamenta merito etiam referenda ſunt convivia, ſiue quis eadem vel ipſe prudenter paret, vel in eadem dicta ratione adhibeatur. Enimvero cum per legem atque voluntatem divinam talis ſit partium eſſentialium hominis nexus, ut anima rationalis, pro affectuum benigna vel maligna indole, corporis, in quo habitat, ſanitatem vel iuvet atque conſervet, vel notabiliter quoque lædat; & vice verſa corporis eiusque partium, tam fluidarum quam ſolidarum, bona malave conſtitutio multum ad animæ rationalis vel ſtatum tranquillum ac vigorem, vel ipſius perturbationem, conferat, demonſtratu facile erit, quanam ratione e conviviis, prudenter inſtitutis vel admiſſis, & animus & corpus, imbecilliora facta, inſigne capere poſſint robur. Nam ille ſermonibus gratiſſimorum hoſpitum familiaribus iocisque, conclavium nitore, ac ipſorum utenſilium ſplendore & munditie ita ſæpe demulcetur, ut curarum priſtinarum plane obliviſcatur, & alacrior a conviviis recedat, quam accedat. Corpus vero e cibis lautis & optima ac liberaliori potione, quæ laudabilem chylum ſanguinemque, ac generoſum liquidum

nerveum ſuppeditant, novas colligit vires, ut poſtea animus, arctiſſime cum corpore unitus, labores ſuos longe felicius aggredi & perficere queat, quam ſi quis in convivium non prodiiſſet. Atque omne hoc de conviviorum uſu negotium egregie complexus eſt prudentiſſimus noſter SENECA, l. c. præclare ſcribens: *Aliquando vigorem dabunt convictus & liberalior potio: Nonnunquam usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat. Eluit enim curas & ab imo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita triſtitiæ vinum medetur, & liberat animum curarum ſervitio, & aſſerit eum urgetque, & audaciorem ad omnes conatus* (adeoque etiam ſtudiorum labores alacriter ſuſtinendos) *facit*, &c. Quorſum etiam reſpexit doctiſſimus Latinus Medicus CELSVS, quando *Lib. I. Cap. I. interdum in convivio eſſe ſanitati prodeſſe* memoriæ prodidit. Sed, ſicut iuxta præceptum ſapientiſſimum SENECAE noſtri l. c. libertatis, ita vini, nec non in univerſum conviviorum, ſalubris moderatio eſſe debet. Equidem eadem nec frequenter nimis inſtituenda vel adeunda ab hominibus privatis ſunt; nec vel ratione convivarum, vel ferculorum numeri, aliorumque ſumtuum, modum excedere debent. Quod ſi enim quis hoc in negotio moderationis limites valde tranſiliat; facile ob damnum, quod nimiis impenſis in convivia factis rei familiari illatum eſt, animum ita curis ſuffocare poteſt, ut idem ſtudiorum graviorum telæ pertexendæ deinceps impar evadat. Non minus conviviis accumbens, pro animi corporisque vigore tutando, modum in aſſumenda ciborum ac potulentorum quantitate ſervet, iuxta aureum SIRACIDIS monitum, *cap. XXXVII. v. 32. ſeq. Ne eſto inſaturabilis*

bilis omnibus deliciis, neque proiectus eſto ad eſcas. Nam multis cibis adhæret morbus, & inſatiabilis voracitas maxime accedit ad choleram. Voracitate inſaturabili multi ſunt mortui.

Quemadmodum itaque prudens tantummodo conviviorum uſus debitam litteratorum animis concedit laxitatem ac hilaritatem: ita idem quoque aſſerendum eſt de variis honeſtis luſibus, atque tripudiis, ad numeros factis, ſive eadem finitis conviviis, ſive alio quandoque tempore habeantur. De his vero ita locutus eſt SENECA noſter l. c. *Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat. - - - Et Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros, non molliter ſe infringens, ut nunc mos eſt, etiam inceſſu ipſo ultra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed ut illi antiqui viri ſolebant inter luſum ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur.* Non vero luſus iocique frequens eſſe uſus debet: *hic enim*, iudice SENECA, *omne animis pondus omnemque vim eripiet.*

Denique etiam in quibusdam litterarum ſtudio deditis gratam animis remiſſionem affert permutatio ſtudiorum ordinariorum cum aliis ad tempus aliquod facta: quando nempe hic vel iſte litteratus ſtudia ſibi maxime conſueta nonnihil ſeponit, & ea ſibi tractanda aliquantiſper ſumit, e quorum cultura animus ſuus magnam percipit voluptatis requiem. Exempli gratia ſi Theologus vel Medicus ſtudiis & occupationibus ordinariis feſſus hiſtoriam philoſophicam vel civilem, aut ſtudium geographicum, aliudve, in deliciis ponit, & ex iis grato animi laxamento fruitur.

Hæc ſecunda vice in indicatum SENECAE locum commentandi nobis occaſionem fecit invitatio publica ad audiendam diſputationem inauguralem clariſſimi & digniſſimi Medicinæ Doctorandi,

IO. WOLFFGANGI WEDELII;

Eam vero antequam præſtemus, de ipſius honeſtiſſimis natalibus, vitæque atque ſtudiorum feliciſſimis ſucceſſibus aliqua in publicum proferre conuenit.

Natus eſt in nobiliſſima hac bonarum artium ſede, anno huius ſeculi VIII, die IV. Novembris, patre quidem viro illuſtri atque experientiſſimo, GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO, Hereditario in Schwarza, Comite Palatino Cæſareo, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis, eminentiſſimi Electoris Moguntini, nec non Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum proſapiæ Erneſtinæ Conſiliario, comparate Aulico, atque Archiatro, Praxeos & Chemiæ in hac Academia P. P.O. huiusque & Facultatis medicæ Seniore venerabili, viro ob inſignia in univerſam rem litterariam, & præſertim medicam, hocque Athenæum merita, undiquaque celeberrimo, ante plures annos beate defuncto; matre omnibus virtutibus matronalibus præfulgente, CATHARINA SOPHIA, adhuc ſuperſtite, ex inclyta SCHELHASIORVM apud nos gente orta.

Optimi parentes mox eo allaborarunt, ut filius in tenera adhuc ætate pietatis & bonarum artium præceptis innutriretur, atque in hunc finem ipſum privatis præceptoribus primum erudiendum demandarunt.

Poſt ad ulteriorem ſtudiorum culturam acquirendam B. parens eum curæ fideique NICOLAI KRIEGKII,

Scho-

Scholæ Ilefeldenſis Rectoris quondam clariſſimi, commiſit. Factis in hoc ludo ſtudiis ſuis laudabilibus acceſſionibus & adulto magis ingenii robore Muſas Altenburgenſes *Noſter* ſalutavit moderatoribus publicis, deque re litteraria optime meritis, inclyti Gymnaſii Fridericiani Directore ACKERO, & Profeſſore STERNIO, quorum ſingularem operam in litteris humanioribus gratiſſima ſemper recolit mente.

Sufficienter in Gymnaſiis ad ſtudia altiora tractanda præparatus in almam patriam, ceu nobile optimarum ſcientiarum emporium, Anno MDCCXXV. rediit, magiſtratum academicum tum temporis gerente ICto celeberrimo ac illuſtri, B. CHRISTIANO SCHROETERO, qui noſtrum in numerum ſtudioſorum recepit.

Vt vero addiſcendæ arti ſalutari animum ſatis aptum afferret, primum ſe philoſophicis addixit ſcholis, & in his expertus eſt fideliſſimam inſtitutionem t. t. artium magiſtri clariſſimi, KOEHLERI, iam Profeſſoris philoſophiæ extraordin. excellentiſſimi, nec non celeberrimi D. D. & Prof. HAMBERGERI, agnati ſui maxime colendi, præcepta phyſica & mathematica ſolide exponentis.

In addiſcendis difficilis artis medicæ partibus ac eo collineantibus diſciplinis magni medici, D. D. IO. ADOLPHI WEDELII, Praxeos & Chemiæ Prof. Publ. Ordin. & Facultatis noſtræ Senioris venerabilis, fratris ſui, parentis loco, æternum colendi, inſtitutione fideliſſima maxime uſus eſt, tradentis inſtitutiones medicas, chemiam, curationem febrium, obſtructionum, inflammationum, ulcerum, fluxionum & morborum infantum.

Non minus ampliſſimæ famæ medici, D. D. HERM. FRIDERICI TEICHMEYERI, Anatomiæ, Chirurgiæ &

Bota-

Botanices P. P. O. meritiſſimi, cognati ſui omni honoris cultu proſequendi, lectionibus anatomicis, anthropologicis, botanicis & chirurgicis, quinque item ſectionibus cadaverum humanorum publice & artificioſe ab eo inſtitutis, non ſine emolumento interfuit.

Porro Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam, Chemiam, materiam medicam, artemque formulas præſcribendi ſub ductu ſupra laudati Excellentiſſimi D. D. HAMBERGERI ſedulo tractavit: Sicut etiam me Chirurgiam atque Pathologiam explanantem auſcultavit.

Maturatis tot acroaſibus & tam longa ſtudii medici cultura profectibus, menſe Martio MDCCXXXIV. inter medicinæ Candidatos nomen ſuum profeſſus decenter a Facultate noſtra petiit, ut ad conſueta profectuum ſuorum edenda experimenta, quæ examina vulgo dicuntur, admitteretur. Ad quæ cum ipſi merito aperta fuerit ianua, talem ſe in iis omnibus examinatoribus probavit, ut nullus dubitaret ipſi licentiam cathedram medicam conſcendendi concedendam eſſe, quo ſub præſidio ſupra laudati venerandi ſui domini fratris *diſſertationem inauguralem* DE MICTV CRVENTO contra obloquentium tela die XVI. huius menſis defenſurus etiam ſpecimen profectuum publicum edere poſſit.

Huic panegyri ut magnificus Pro-Rector, illuſtriſſimus S. R. I. Comes, Proceres Academiæ excellentiſſimi, omniumque ordinum Hoſpites & Commilitones nobiliſſimi gratioſa & amica præſentia intereſſe dignentur ac velint, nomine Collegii Medici decentisſime & officioſiſſime oro, rogo & invito. P. P. ſub ſigillo Facultatis, Ienæ d. X. Iulii MDCCXXXV.

(L. S.)